



M A R I A , Philippi Archiducis Austriae, & Ioannae Reginae Hispaniarum filia, & Caroli quinti Imperatoris soror, nupsit admodum puella Ludouico inferioris Pannoniae Regi, qui in ipso statim adolescētia suae limine, anno 1527. cum aduersus Turcas infeliciter pugnasset, fuga sibi salutem quaerens, in palude quadam interiit, superincumbentis equi pondere suffocatus. Cuius memoriae tantum tribuit Maria, vt nulla vnquam ratione adduci potuerit, vt aut ad secundas nuptias animum adiiceret, aut vestem lugubrem cultu amoeniore mutaret. Nec multo post a Carolo fratre inferioris Germaniae gubernaculis admota, strenue in primis munus sibi creditum obiuit: multaque Caesare absente bella Gallis, Sicambriis, & Menapiis partim vltro intulit, partim ab illis illata sustinuit. In omni denique vite ratione virilem potius, quam muliebrem, animum praese tulit, a principum mulierum deliciis prorsus abhorrens. Tandem vt nominis sui memoriae consulere, in Eburonum, & Namurcesium finibus oppidum egregie munitum condidit, quod de nomine suo Mariae-Burgum voluit appellatum.

C A T H E R I N A , quarta Philippi Archiducis Austriae filia, nupsit Ioanni Emanuelis Lusitaniae Regis filio, qui hodie regni eius sceptrum tenet, quem & quatuor liberorum Emanuelis, Philippi, Mariae, & Isabellae partem fecit. Haec praeter insignem formae venustatem, eruditionis nomine in primis commendatur, aliis etiam virtutibus, regia matrona dignis, egregie dotata.